



ISTITUTO NAZIONALE
DI STUDI ROMANI

PER.
LAT
020

BIBLIOTECA

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1942-43: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57,292. — Laptulajdonos: Katolikus Közepiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen einök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 13. (tel.: 269-057).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. IV. 6. (tel.: 468-099)

Nuntii recentissimi.


Nuntii belli. Quamquam Germani Italique in Tunesia fortissime pugnabant, tamen Angli Americanique exercitu decies tanto urbes Bisertam et Tunesiam summa vi aggressi tandem occupaverunt. In Russia felicius pugnatur. Interim de horribili atrocitate bolsevistarum mundus certior factus est. Bolsevistae, qui annis 1919-1923 in Russia 815.000 agriculturalum, 344.000 ex ingenio quaestum facientium (szelleimi foglalkozású = von-Geistesarbeit leben = qu exercent une profession intellectuelle), 260.000 militum, 180.000 operariorum, 45.850 praefectorum militum, 18.000 magistratum, 8.800 medicorum, 6565 magistrorum, in Hispania autem 20.000 sacerdotum catholicorum, 15.000 monacharum (apáca = Nonne = religieuse), decem episcopos crudelissime trucidaverunt, novissime a. 1940 in silva ad Catyn 10.000 praefectorum militum Polonicorum captivorum simili barbaria interfecerunt. Cum Poloni exsules Russis, Russi autem Polonis diffidant, Angli, qui Poloniam defensuri bellum Germanis intulerant, nunc Polonos cum bolsevistis reconciliare conantur. Quia in dies plus virorum ad arma evocantur, praeter feminas in Germania etiam elephantum in agriculturam assumuntur (vide imaginem pag. 67).

Nuntii varii. Ut Margaretha Bella nuntiat, discipulae

classis VIII Ursulani Scarabantini ante tentamen maturitatis ultimo acroamate (előadás = Aufführung = representation) Latino auditores delectaverunt. Discipulae Latine prologum, carmina et fabellas scenicas declamaverunt aut cantaverunt. Praecipue fabellae scenicae «Horatius cum ipatre in scholam it» ab *Eva Anicsek*, «Cena apud Maecentem» ab *Aglaea Udvardy* et «Horatius senex» a *Clara Rhédey* scriptae memoriae tradendae sunt. — *Societas Verbi Divini* discipulos bene discentes, sanos, qui missionarii fieri volunt, invitat, ut in domum missionis Ordinis Ginsiensem,



Forum urbis Tunitanae Cairuan, quae ab Anglo-Saxonibus capta est.



Tunesia septentrionalis ab Anglis Americanisque aegerrime occupata (pag. 65).

Budatényienssem aut Kiskunfélegyháziensem intraturi nomen dent. Discipuli in omnes classes, testimonio autem maturitatis muniti statim in novitium Ordinis assumuntur. Intraturos de conditionibus copiosius certiores facit P. Stephanus Wachter S. O. D. rector seminarii Americani Kőszeg.

Certamen corrigendi (vide pag. 53. m. Martii) usque ad Cal. Iunias prolongatur.

Cantus¹ violinae¹ mendax.

Scriptit Bela Endrődi. Latine reddidit Dr. Elisabetha Nagy Bp.

Historiam, quae infra sequitur, descripsi, qua uxores lectorum edocerentur.

Historia vehementi tinnitu² incipit in ianua domicilii mei, quo audito, ut inquilinus³ peritus solitarius,⁴ non festinavi statim, ut ianuam aperirem. Forsitan mutet consilium is, qui tinnit et abit. Postea tintinnabulum⁵ iterum tinnire inceptit acriter et impatienter. Tum denique lente surrexi et aperui ianuam. Mulier macra⁶ vestitu vili ante ianuam meam stans mihi epistolam porrexit. «Ad uxorem Tuam honoratissimam scripta est!» — explicavit alacris.⁷

Ad uxorem meam honoratissimam? — admirabar spectans inscriptionem epistolae. Reverā inscriptio involucri⁸ haec erat: Dominae uxori Belae Endrődi, Budapestini, locus domicilii accurate scriptus, contignatio,⁹ numerus portae. Hem! — dixi mecum — sed iam vere videndum est, quis uxori meae scribere potuerit, quam nullam habeo. Et quidem quid scripsit?

«Statim!» — dixi mulieri macrae. Clausi ianuam et involucrium epistolae resignavi.¹⁰ Me concitatum¹¹ id resignavisse et concitato animo coepisse legere versus epistolae stilo¹² plumbeo¹² scriptos confiteor. «Domina honoratissima! — scriptum erat in epistola — non ignarus misericordiae Tuae animique mollissimi¹³ me precibus infra scriptis ad Te convertere ausus sum.» Ergo uxor mea misericors animique mollissimi est! — dixi mecum animo allevato¹⁴ — postea iam minus concitatus perrexi legere epistolam, iam quid sequeretur

praesentiens. Praesensio mea non me fefellit: scriptor epistolae familiam maximam, miseriam magnam, morbum gravem, paupertatem pudicam afferens, saltem 1, dic unum penguinem ab uxore mea precatus est. Subscriptio: X. J. violinista¹⁵ diplomate¹⁵ ornatus,¹⁵ morbo gravi afflicto.

Epistolam repositi in involucrio, aperui ianuam, dixi mulieri exspectanti: «Videas, quaeso, ego do¹⁶ stipem¹⁶ Charitati et ecce testimonium viride, quod me singulis mensibus summam honestam publicae¹⁷ egentium¹⁷ curae¹⁷ huius districtus¹⁷ dare testatur. Itaque iure repudio¹⁸ hunc modum mendicandj subdolum, praesertim cum uxorem non habeam!»

— Dolendum est!¹⁹ — respondit mulier breviter — quia dominam tuam honoratissimam certe miserisset hominis illius pauperis!

Contumeliam devoravi,²⁰ postea aliquā misericordiā motus sciscitari coeperam, quae necessitudines ei cum illo homine paupere essent? Maritus, frater an aliquis propinquus ei esset?

«Vicinus meus est in vico²¹ pauperum²¹ — respondit maestissima. Dedit mihi complures litteras, quas ad notos portarem, qui forsitan adiuvarent eum.»

Mulier iam abitura erat, sed voce²² prosecutus²² sum²² eam: «Expecta paululum!» Postea quasi veniam petens testimonia mea a Charitate et a publicā egentium curā data aspexi porrexique mulieri summam rogatam. Mulier subrisit, salutavit me et abiit...

Finis sequetur.

¹ hegedű szó = Geigenklang = chant du violon ² csöngetés = Klingeln = coup de sonnette ³ lakó = Hausbewohner = locataire ⁴ magányos = alleinstehend = isolé ⁵ csengő = Klingel = sonnette ⁶ sovány = mager = maigre ⁷ élénken = lebhaft = vivement ⁸ boríték = Briefumschlag = envelope ⁹ emelet = Stock = étage ¹⁰ felhont = öffnen = ouvrir ¹¹ izgatott = aufgeregt = excité ¹² ceruza = Bleistift = crayon ¹³ melegen érző = leicht zu rühren = sensible ¹⁴ megkönnyebbültén = erleichtert = me sentant soulagé ¹⁵ okleveles hegedűművész = diplomierter Geigenkünstler = violoniste diplômé ¹⁶ adakozik = spenden = verser son obole ¹⁷ kerületi szegényügyi bizottság = Bezirksarmenkommission = commission d'assistance publique de l'arrondissement ¹⁸ visszautasít = zurückweisen = refuser ¹⁹ kár = Schade = c'est dommage ²⁰ lenyel = einstecken = avaler ²¹ nyomortelep = Armenviertel = quartier des pauvres ²² utána szól = nachrufen = crier après

Hölderlin: Ad Parcas.

Aestatem et unam parcite, vos, meis.
Autumnum et unum parcite canticis.
Iuvet levatam ut mentem obire
Tartara, carmine plenam amoeno.

Sub luce spiritus¹ meritis suis
Divis negatus, haud requiescit in
Orco, at beatum carmen, ardens
Pectore quando² ego si² cantaro:.²

Veni quiete tunc loce Manium,
Contente obibo, si neque barbitos
Sequitur illuc, nam deis par
Vita satisfaciet peracta.

Metro Alcaico servato convertit Robertus Frank
disc. Mátyásföldiensis.

¹ animus ² si quando cantavero



In hac fossa inventa sunt milia praefectorum militum Polonorum a bolsivistis crudeliter trucidatorum (pag. 65).

Quomodo subita¹ potio¹ vendatur.

Ex actis diurnis «Nemzeti Ujság». Scripsit *Alexander Hegedüs* iun. Convertit *Aladárus Kővári* (Kaposvár).

Res adversae premebant Ioannem Kovács. Habebat quidem stipendiolum² emeritum³ et nonnulla milia pengonum sepositorum, sed pecunia iam fere nil valebat et argentariae⁴ vix aliquantum foenoris pro summa deposita tribuebant. Itaque et ipse et uxor eius multa semper in animoolvebant, quam ratione quidque suscipientes plus acceptorum⁵ habere possent.

Primum consilium horti colendi capiebant: agros se suburbanos esse empturos, quos in hortum transformarent; sed rebus operariorum cognitis incepti eos taeduit.

Aliquando sub noctem in urbe ambulantes constiterunt parumper ad fenestram tabernae potionum subitarum splendide illuminatam et spectabant cibos expositos: varia lactuca⁶ genera, anserem assum, iecora anserina, frusta⁷ piscina, porcinam⁸, crustaque⁹ in patellis vitreis posita. Intus globus hominum erat, qui stantes cibos consumebant. Tunc noster uxorem attingens: «Eamus, — inquit — intro et bibamus coffeam lacteam, cum simus frigore paulum temptati.»

Intraverunt in tabernam, spectabant populum ineuntem redeuntemque et observabant, quot et quantum quisque consumperit. Theca¹⁰ nummaria¹⁰ computatoria¹⁰ unāquāque summā acceptā tinnitu significavit pecuniam insertam. Kovács uxorem allocutus est: «Ego equidem iam scio, quid faciendum sit. Potio subita est nobis aperienda vel potius — si licet — emenda.»

Possessor tabernae astutus,¹¹ natione Armenius, nomine Vutenkó, in taberna versabatur, cum audiret eos consilium tabernae emendae secum agitare. Iam dudum in animo habebat vendere tabernam, eo magis, quod causa nationalitatis¹² eius non ordinata erat ideoque timuit, ne quodam die ex suapte taberna eliminaretur.

Usque circum coniuges versabatur, arrisit eis et gratificabatur, tandem allocutus est eos: «Tabernam potionum subitarum vultisne emere?»

«De hac re agi potest» — dixit Kovács.

«Ergo, amabo, redeas huc, ego enim scio quandam, de qua agi potest» — suadebat rem Vutenkó.

Ex hoc colloquio exorta est res, quam coniuges Kovács domi in dies diligenter agitabant inter se.

Demum constituerunt omnem suam pecuniam in subita potione collocare.

Kovács adiit nunc nostrum Vutenkó interrogavitque, ubi esset taberna illa venalis.

Homini in conclave posterius introducto Vutenkó secreto dixit: «Ausculta domine! Si te revera obfirmavisti subitam potione emere, agere de re possumus, nam ego iam meum renuntiaturus sum. Cognati enim mei me in patriam revocant, ubi praedium hereditate nobis obvenit, quod communiter colere volumus.»

«Iam vero quanti vendis hanc subitam potione?»

«Sexaginta milibus pengonum,» respondit Vutenkó: «Sed ne uno quidem asse minoris!»

«Attat,¹³ — ait Kovács — quomodo potest tanta summa posci, cum pretium talis tabernae commerciale sit triginta milia pengonum. Priusquam huc accessi, sciscitatus eram, quanti esset quantumque fructum ferret hoc genus tabernarum. Ego non possum decipi, cum sim ipse veterator.»¹¹

«Atqui enimvero non de astutia agitur, — arrisit ei Vutenkó — sed de negotio. Ego equidem te non fallere, sed adiuvere velim, quo utilius pecuniam collocare possis. Sine dubio subita potio huius generis non usquam pluris venit, quam triginta milibus pengonum, sed pretium tabernarum huius generis semper frequentia¹⁴ statuitur. Acceptum autem meae tabernae alterum tantum est, quantum fructus aliarum. Sed si vere obstinate empturus es, quo minus credas me rem¹⁵ involutam¹⁵ venundare, tempus experiendi tibi propono.»

«Tempus experiendi? Quomodo id percipiendum est?» quaesivit Kovács.

«Simplicissime, — dixit Vutenkó. — Optime scis hoc genus potaculi¹ 25—30 centesimas ferre. Ergo, ut pretium huius potaculi ex celebritate¹⁴ computare possis, confer te huc per tres dies, collige et computa cunctas scidulas¹⁶ arcariae¹⁶ per thecam editas et videbis frequentiam tabernae meae. Arcariae¹⁷ dicemus propter contrascriptionem¹⁸ scidulas ad te in conclave posterius inferendas esse.»

¹ vulgo: espresso ² nyugdíj = Ruhegehalt = pension
³ bank = Bank = banque ⁴ jövedelm = Einnahme = revenu ⁵ saláta = Salat = salade ⁶ sült = gebraten = rôti
⁷ szelet = Filet = filet ⁸ felvágott = Imbiß = charcuterie
⁹ sütemény = Backwerk = pâtisserie ¹⁰ számló kassa = Registrierkassa = caisse à enregistrar ¹¹ ravasz = schlau = rusé
¹² honosság = Staatsangehörigkeit = nationalité
¹³ ejha! = ha! = ah! ¹⁴ forgalom = Verkehr = trafic
¹⁵ zsákban macska = Katze im Sack = chat en poche
¹⁶ blokkcédule = Kassenschein = billet de caisse ¹⁷ pénztárosnő = Kassierin = caissière ¹⁸ ellenőrzés = Kontrolle = contrôle



Elephantus aratrum trahens (pag. 65).

«Quod quidem sollerter excogitatum est» — dixit Kovács. «Ergo quando veniam?»

«Tute tibi statues, quando venias; ipse ne minimā quidem vi vel gratia uti volo.»

«Ergo, quaeso, cras adero, — dixit Kovács — et proponam dies, quibus vice contrascriptoris ipse fungar.»

Finis sequitur.

De speculatoribus (6)

Narratiunculæ temporis aptæ. Convertit : *J. Guelmino* Bp.

7. De crimine centurionis Dreyfus. Germani et Francogalli per saecula prius aemuli, post inimici, ut secreta militaria surriperent, speculatores inter se sagacissimos¹ semper habebant. Officium² Francogalliae speculatoribus³ arcendis³ semper vigil erat, non modo ut omnes passus aggregati³ legationis³ Germanicae accuratissime observarentur, sed etiam famulum eiusdem legationis pretio perduxit, ut orbem⁴ chartariam⁴ aggregati legationis cotidie perscrutaretur et si ibi scriptum, etsi conscissum, inveniret, officio speculatoribus arcendis Francogallico tradendum esse curaret.

Et re vera accidit, ut quodam die scriptum conscissum, sed accurate compositum obstupescerit⁵ Francogallos. Apparuit enim in illā scidulā annotationes secretas, ad rem⁵ tormentariam⁶ Francogallicam pertinentes, scriptas esse. Quis igitur prodidisset has res secretas Germanis, quærebatur. Certe non alius, ac conscius.⁷ Nemo alius, nisi praefectus⁸ quidam militum⁸ tormentarius. Vehementissime igitur quaeritur, quis sit ille. Scripta graphologo⁹ traduntur, qui declarat modum scribendi eundem esse et scidulae et centurionis Dreyfus. Sic Dreyfus proditionis accusatus et damnatus, deinde gradu¹⁰ dignitatis¹⁰ deiectus¹⁰ in exsilium in Insulam Diaboli missus est.

Res tamen nullo modo requiescere potuit et inimicitiae inter duo imperia in odium immensum versae non minimae causae sequentis belli mundani exstiterunt.

Continuabitur

¹ szemes = scharfsinnig = sagace ² kémelhártó osztály = Spionabwehrsektion = bureau de contre-espionnage ³ vulgo : attaché ⁴ papirkosár = Papierkorb = corbeille à papier ⁵ meghökkenet = bestürzt machen = ahurir ⁶ tüzérség = Artillerie = artillerie ⁷ beavatott = eingeweiht = bien informé ⁸ tiszt = Offizier = officier ⁹ írászakértő = Handschriftendeuter = graphologue ¹⁰ rangjától megfoszt = degradieren = dégrader

LECTORIBUS MINIMIS.

locosa.

1. In actione¹ forensi¹ reum magno cum fuste intransentem iudex interrogat : «Quare cum fuste venisti?» Reus respondet : «Etiam fustem hic necessarium futurum esse putavi, quia in vocatione² haec legi : *quisque ipse suae defensionis iustae consulere³ debet.*»

2. Coniuges domicilium aestivum quaerunt. In statione descendentes vident tabulam cum inscriptione : Domicilium intra⁴ lapidis⁴ coniectum⁴ a statione situm locatur.⁵ — Horam fere totam procedentes vix inveniunt villam. Tum vir fessus dicit possessori : «Iam video villam, sed nunc

etiam hominem videre velim, qui lapidem in statione stans huc conicere potest!»

3. Ancilla rustica coffeam emit. Mercator interrogat : «Albidam vis-ne, an fuscam?» — Ancilla : «Nil⁶ refert, nam caeco coffeam porto.»

Isabella Nagy disc. Angelani Bp.

Iudex : Quonam cognovisti hunc virum ebrium esse? — Testis : In curru electrico sedem suam feminae obtulit. — Iudex : Sed hoc factum non comprobatur eum ebrium fuisse. — Testis : At in curru ii duo soli erant.

Angela Ürményi disc. Angelani Bp.

1. Director theatri : Ergo filia tua omnino actrix⁷ fieri vult? Sed habet-ne facultatem scenicam! — Mater : Sane habet. Pater eius dissignator⁸ est, ego autem ianitrix⁹ saeptorum⁹ sum.

2. Emptor : Pluvial¹⁰ quod heri hic emeram, iam colorem amisit. — Mercator : Eheu, fortasse madefactum est?¹¹

Ioannes Bak disc. Berzsenyiani Bp.

1. Magistra : Quid factum est anno 1825? — Discipula : Nescio, nam tum aegrota aberam.

2. Magistra : Enumerate dicta notissima poetarum. — Quaedam vox : Ad mare, Hungare! — Mag. : Bene! Quis dixit hoc? — Eadem vox : Ego.

3. Magistra : Ubi natus est Csokonai? — Discipula : In collegio Debrecinensi.

4. Magistra : Quis regnavit deinde? . . . tu, quid tibi nomen est? — Discipula : Henricus IV.

Marg. Miskolczi disc. Elisabethei Bp.

Homo benevolus puerum in via flentem aspicit et interrogat : «Cur fles, puer?» — Puer respondet : «Quia amisi sestertium.» — Homo : «Noli flere, mi fili! Do tibi alium sestertium.» Puer tamen non desinit flere. Tum homo : «Quid fles etiam nunc, — inquit — cum iam dedi tibi sestertium?» Puer respondet : «Ita est, sed nisi primum sestertium amissem, nunc duos sestertios haberem.»

Ervinus Hoffmann disc. gymn. conf. Helv. Bp.

Avia¹² cum nepote Thoma parvulo ambulantes in aula¹³ ferroviaria¹³ materculam manent. Tum consistunt ante locomotricem ingentem, et avia monet Thomam, qui studio admiratur locomotricem : «Noli attingere, Thoma!» — «Noli timere¹⁴ filiolo, dixit ductor locomotricis benevolē, nil mali potest accidere!» — «Tu videlicet ignoscis nepotem meum, respondet femina, nam quidquid manu tangit, corrumpit.»¹⁵

Zoltanus Vas disc. gymn. Acad. Bp.

¹ törvényszéki tárgyalás = Gerichtsverhandlung = audience ² idézés = Vorladung = citation ³ gondoskodni = sorgen = avoir soin de ⁴ kőhajításnyira = auf eine Wurfweite = à un jet de pierre ⁵ kiadó = zu vermieten = à louer ⁶ idem est ⁷ színész nő = Schauspielerin = actrice ⁸ jegyzető = Platzanweiser = placeur ⁹ páholynyitogató = Logenschließerin = ouvreuse de loges ¹⁰ esernyő = Regenschirm = parapluie ¹¹ megázik = naß werden = devenir humide ¹² nagyanya = Großmutter = grandemère ¹³ pályaudvar = Bahnhof = gare ¹⁴ féltetni = besorgt sein für = avoir peur pour ¹⁵ tönkre tesz = zu Grunde richten = détruire

1. Magister religionis explicans dicit classi: «Quid est igitur faciendum, si quis mortifero¹⁶ morbo¹⁶ affectus¹⁶ esse videtur?» — Quaedam vox: «Sarcophagus!»

2. Discipulus, qui semper superbe et nasute¹⁷ loqui vult, dixit quondam in geographia populos piscatorios et venatorios in regionibus habitare, quae habitatoribus¹⁸ vacuae¹⁸ essent.

3. Magister in historia quendam discipulum interrogat: «Dic mihi statim, quando aetas antiqua finita sit.» Discipulus non attentus, perterritus respondit: «Media aetate ineunte.»¹⁹

Eugenius Gött disc. Cisterc. (Albae Regiae).



A; Primus, qui ad metam cursu pervenit, praemium poculum argenteum accipit. — B.; Intellego. Sed quam ob rem currunt ceteri?

¹⁶ halálos beteg = sterbenskrank = malade à mourir ¹⁷ tudákosan = naseweis = prétentieusement ¹⁸ lakatlan = unbewohnt = inhabité ¹⁹ kezdetén = am Beginn = au commencement

Carmina popularia Hungarica¹

Latine reddidit Ios. Tóth dr. (Pestszentlőrinc).

1. *Matrem bonam habui, me
Educabat aegerrime:
Die lavit, nocte nebat,
Heu, graviter me alebat.*

*Exsul vagans orba avis
Devolat in cunctis silvis,
Tam orbis, miser homo, num
Ne exsulet, quam ego sum?*

2. *Cara videsne, cara videsne tumulum
illum vastum?*

*Donec illum vides, donec illum vides,
tuus esse non possum.*

*Tumulum auferent sudarii mei laciniae,
At mea eris, at mea eris, tu meae deliciae.*

*Cara videsne, cara videsne ignem illum
pervastum?*

*Donec illum vides, donec illum vides
tuus esse non possum.*

*Ignem perexstinguent oculorum meo-
rum lacrimae,
At mea eris, at mea eris, tu meae deliciae.*

¹ Ad melodiam: 1. Édesanyám is volt nékem. 2. Látod-e babám.

LECTORIBUS MAIORIBUS

Systema stenographiae S.-is Taylor.⁽¹⁰⁾

Ad linguam lat. accomodavit I. C. Danzer Pesthini 1802.

5. In vocalibus, quibus nulla alia, nisi litera *r*, consonans inest, loco characteris stenographici, ipsum hoc *r* latinum ponendum est. Nro 7. Cum vero litera *r* nulla alia consonante interveniente duplicanda est, *r* latino communi, alterum stenographicum praeponitur. Eodem nro 7. Quodsi autem in aliqua voce litera *r* ter occurrit sine alia consonante, primo characteri stenographico duplicato, *r* latino adjungendum est. Eodem nro 7. — 6. Vocales, quibus terminantur vocabula, singulae singulis characteribus stenographicis exprimuntur, & quidem: Vocalis finalis *a* hamulo (Häufchen) in apice ultimae consonantis paulo dextram versus posito notatur. Nro 8. — 7. Vocalem finalem *e* indicat punctum in apice ultimae consonantis. Nro 9. — 8. Vocalis finalis *i* exprimitur puncto infra imam cuspidem ultimae consonantis posito. Nro. 10. — 9. Vocalis finalis *o* indicatur hamulo converso infra apicem ultimae consonantis scripto. Nro 11. — 10. Vocalis finalis *u* proprio suo characterem infra apicem ultimae consonantis posito designatur. Nro. 12.

11. Diphthongum finalem *ae*, quia crebra occurrit, cum *e* simplici non permütandam, sed propria signandam esse nota, censuimus; nempe hamulo infra apicem ultimae consonantis collocato. Nro 13.



Pittacia beneficialia militibus curandis destinata.


Eadem nota etiam verbum auxiliare *est* exprimitur, quam reliqua quoque verba, in quibus *est* occurrit, retinent, praefixa alioquin praepositione, e qua componentur; e. g. *adest, inest, subest*. — 12. Syllabam finalem *us* notat *hamulus conversus supra ultimam* consonantem scriptus. Nro 14. — 13. Characteres terminationum *a, o, u, ae & us*, consonanti proximae praecedenti eodem ductu adnectere facile erit, perspecta semel eorum forma, usuque ejus debite cognito. Nro 15. Quam vero terminatio *a* in lingua latina quam frequentissima sit, character ejus, nempe *hamulus sinistrorsum flexus*, & in apice positus, quo promptius legi scribique possit, in anulum, ad quem similitudine formae accedit, absque ullo erroris periculo, converti potest, quia nullus alius character stenographicus in anulum desinit. Quam plurima hujus exempla vide tab. IV.

14. Characteres terminationum *ui, uit,* & *nt* semper ultimae consonanti continuo juncti adhaerent. Nro 16. — 15. Ex characteribus terminationis *nt* facile character terminationis passivae *ntur* formatur, annexo nimirum characteribus stenographicis litterae *r*. Nro 17. — 16. Particulae *que & ve* vocabulis, quibus postponuntur, adnectendae sunt; separantur tamen in scriptura stenographica, dum vocabulum antecedens in vocalem desinit. Nro 18. — 17. Terminationem *bus*, quo brevius absolvatur, sola penultima consonante *b* indicare sufficit; neque enim per hoc ullus erroris locus datur. Nro 19.

Continuabitur.

In memoriam Isaci Newton.

(1643—1943.)



Isacus Newton.

Isacus Newton, maximus physicus temporum omnium, anno 1643. Nonis Jan. patre, possessore agrorum mortuo natus est quare a matre educabatur. In universitate Cantabrigiana multum legebat opera Euclidis et Carthesii. Per theorema binomiale advenit ad maximum inventum mathematicum: ad calculum differentialem et integrale. Quo calculo in astronomia physica opus erat ei, postquam invenerat leges gravitationis: *magnitudo gra-*

vitationis rationem rectam habet ad magnitudinem corporis attrahentis, et inversam ad quadratum distantiae corporum attrahentium. Etiam hodie hae sunt leges fundamentales astronomiae. Quas quamquam iam 25 annos natus, anno 1668 invenerat, tamen solum anno 1687 publicavit libro in clarissimo latine scripto, qui «Philosophiae naturalis principia mathematica» inscribitur. Quo in libro totam physicam lucis conscripsit. Imprimis experimenta, quae prismae usus egit et theorema emissionis illustrata sunt. Etiam professor universitatis Cantabrigianae, deinde universitatis legatus in senatu Anglorum erat. Pro telescopio speculari ab Instituto Regio Londiniensi sodalis electus, postea usque ad mortem Instituti praeses erat. Saeculo XVIII etiam Voltaire vidit malum famosam, cuius malo delapso Newton ad legem gravitationis inveniendam perductus est. Newton vir erat religiosissimus: non solum sentiebat et sciebat, sed etiam confitebatur scientiam humanam parvam et finitam, Deum autem potentem et infinitum esse.

«Talibus infantibus sum similis, — inquit — qui in litore maris immensi lusitantes passim paucas glareas colligunt ceteris poltiores, paucas conchas ceteris pulchriores, at quos ingens oceanus veritatis latet.» 80 annos natus gravi morbo afflictus est et quattuor annis post, anno 1727 decessit vita. Inventa perpetui pretii sunt. Magnitudinem posteritas celeriter cognovit et vix XXX annis post mortem iam statuum ei posuit Cantabrigiae. Tamen non statuae, sed opera asservant maxime memoriam. In sepulchro eius inscriptum est: «Sibi gratulentur mortales, tale, tantumque exstitisse humani generis decus».

Frid. Kreiner Sch.-Piarum M.-Canissanarum.

Commercium epistulare.

Cordis Mariae Postulantes Alabonenses Scholasticis Budapestinensibus S. P.

Iam diu est, cum ad vos scribere affectabamus, sed aut quia nulla succurrebat magni momenti res, aut quia vos studiosissimos et peritissimos linguae latinae sciebamus, id minime perficimus. Nunc autem cum epistularum commercium non sit interclusum, de aliquibus vos certiores facimus. Nos adulescentes litteris vacamus Hispanis, latinis et graecis, ut his exculti ad altiores sacerdotales disciplinas deveniamus. Prope Caesaraugustam (in Hispania) Alabonae gymnasium nostrum est, alumnorum vero numerus ad 105 ascendit. Humanitatis curriculum 5 annis apud nos completur. Primo cursui 21 alumni sunt, secundo autem 23, tertio 25 quarto 24, in quinto tandem 12 sumus. In nostris scholis litterariis a magistris praeclarissimis doctissimi, quorum quidam vobis noti erunt per nostram «PALAESTRAM LATINAM» (menstruum de latinitate commentarium): ut magister noster Iosephus M^o Mir Cordis Mariae Filius. In promptu habeo «Juventutes» aliquas vestras, et mihi omnes magnopere placent, vel ob pulchras effigies, vel propter venustatem suam. Sed pluribus verbis ad vos scribam, cum plus otii nactus ero. Iam litteras vestras spectamus. Dominus et Virgo Maria vobis benedicant, ut optimi cives efficiamini. Vester in Domino:

Albinus Garcia C. M. P.¹

Alabonae-Kal. Febr. MCMXLI.

¹ Claretiani quoque vocantur a Bto. Fundatore Claret.

Librorum recensio.

Szent Ágoston vallomásai. Fordította és magyarázta Balogh József. (S. Augustini confessiones) 2 kötet. Parthenon. Budapest, 1943. Pag. XLI + 211 + 352 Pretium 24.— P. — Post S. Augustini Confessionum, aureoli huius libri a Iosepho Vass confectam translationem 26 annorum spatio transacto hoc anno nova exstitit Iosephi Balogh. Quamquam Iosephi Vass Confessionum interpretationem eximiam esse diximus, nequitur tamen infitiri innumerabilibus locis nimis liberam, ne dicam licentiosam evasisse. Iosephus Vass enim poetarum more modoque suo sibi spiritu et fervore abreptus sublimeque elatus «in altos nubium tractus tetendit.» Exempli causa vide I. 4. Iam diu exigebamus talem confessionum interpretationem, quae media est inter nimiam ad verba scriptoris astrictam et licentem evagantem. Hoc vero temperato convertendi genere optime functus est Iosephus Balogh, qui licet philologorum religiosa cura Augustini verba sequatur licentiamque intra iustos terminos cohibeat, attamen volubilem, sine salebris fluentem ac nostrae aetatis sermoni accomodatam nobis



praebuit confessionum translationem. Proemium, quod interpretationem antecedit, docte et subtiliter commentatus, cur Augustinus confessiones conscripserit, exposuit et Augustinum non tam vitam suam depingere, quam animi sui mutationes, inclinationes et momenta illustrare voluisse demonstravit breviterque vitam Augustini qualis in Confessionibus describitur adumbravit, de manichaeismo et Plotino disseruit quomodoque neoplatonismo animus eius affectus esset, explicavit; denique libros, qui de Augustini vita et scriptis compositi sunt et translationes enumeravit. Non dubito praedicare Iosephum Balogh Confessionibus Augustini iterum in Hungaricum conversis utilem, probam ac bonam nobis operam navasse. *Car. Ács Bp.*

Wagner József: Az antik világ zenéje (Ars musica antiquitatis). Parthenon, Franklin-Társulat, 1934. Pag. 96. Pretium pengoe 3.20. — Quamquam historiam et praecepta artis musicae Graecorum Romanorumque ex operibus 56 scriptorum antiquorum etiam nunc satis cognoscere possumus, tamen decem tantum melodiae nobis relictæ, etsi pulchrae sint, quia polyphonia tum nondum inventa erat, haud intellegere sinunt, quomodo haec ars animos hominum adeo tenuerit, ut maximi philosophorum: *Plato* et *Aristoteles* artem musicam omnibus pueris puellisque discendam esse dixerint. Auctor tam iucundam praebet narrationem mythorum, instrumentorum, doctrinae et omnium rationum ad artem musicam pertinentium, ut hic liber etiam imperitis notarum musicarum utilis et delectationis plena sit.

PER LO STUDIO EL'USO DELLATINO. Roma. Anno IV. N. 2. Reale Istituto di Studi Romani Editore. MCMXLII—XXI. Pag. 94. Pretium in Italia 20, extra Italiam 40 librae. — Hoc praeconium latininitatis primarium demonstrat Musas Italicas ne inter arma quidem silere. Summarium libri elegantissimi: 1. *G. Bottai*; Vitalitas et functio latininitatis in nova schola. 2. *G. Sörbom*; Vicissitudines et condiciones linguae Latine in Suecia. 3. *I. Sundwall*; Novum lexicon Latinum in Finnia. 4. *P. Ciprotti*; Ut latine scribamus et loquamur quae sit veterum inscriptionum utilitas. 5. *P. Vannutelli*; De historia litterarum Latinarum tradenda latine. 6. *G. Lurz*; De mensuris ponderibusque. 7. *V. Paladini*; Dictionarium Latino-Italianum. Praeterea *Centrum Internationale Nuntiatorium* edocet nos de inauguratione Instituti Berolinensi «Studia Humanitatis», de Schola Superiore Latina Gregoriana, de concursu nationali orationis Latinae, etc.

AENIGMATA.

Solutiones aenigmatum numeri VII (m. Martii): 1. Rosa, olim, sine, amen. — 2. Latifundia perdidere Italiam. — 3. Idem, duo, eo, m. — 4. Diana, Iris, aio, ns, a. — 5. S, is, vis, avis, mavis, amavis(ti). — 6. Quidquid agis, prudenter agas et respice finem. — 7. Gutta cavat lapidem non vi, sed saepe cadendo. — 8. Donec eris felix, multos numerabis amicos. Tempora si fuerint nubila, solus eris. — 9. Cera, acer. — 10. Ne. Ora. Nomen. Omnia mea. Manus. Nemo ante. In. Sic itur. Mens sana. O tempora. Risum. Ira. Aurora. Rera: Non omnis moriar. — 11. *Ad libram:* 1. Terra. 5. Leo. 7. Eram. 8. Se. 10. (E)ram. 11. Dum. 14. Modus. 15. Ensis. 17. Us. 19. Do. 20. Sic. 23. Dir. 24. Natus. 27. Te. 28. Es. — *Ad perpendicularum:* 1. Tertius. 2. Eram. 3. (O)ram. 5. Laudis. 6. Os. 9. Eo. 11. Dos. 12. Mus. 16. Horto(r). 18. Sine. 19. Dis. 22. Tu. 23. Des. 25. Tu. 26. Se.

Aenigmata recte dissolverunt 152 discipuli ex 23 gymnasiis. Praemium sorte obvenit **Iulio Szedenics** (Toldyanum), **Stephano Csobay** et **Ladislao Kún** (Bötvösianum), **Andreae Paál**, **Joanni Bak**, **Ladislao Ráth** (Berzsenyanum), **Evae Bonyhádi** (Theresianum), **Joanni Márton** (gymn. IPEA), **Andreae Bernhardt** Budapesti-

nensibus; **Desiderio Csere Colocensi**; **Ludovico Keszhelyi** Kaposvariensi; **Friderico Kreiner** M.-Canissano; **Zoltano Horváth** (Maurinum) Papaensi; **Alberto Benkő** (Cisterc.) Quinqueecclesiensi; **Valeriae Virágh** (Ursulanum) Scarabantinae; **Eugenio Gött** (Stephanum) Alba-Regiensi. Fortuna non favit Scholis Piis, Veresiano, Kölcseyano, Zrinyiano, Margaretheo, Elisabetheo Budapestinensibus, praeterea gymnasiis Iaurinensi, Jászberényiensi, Claudiopolitano, Zalaegezségiensi.

1. *Angulus magicus.*

	1	2	3	4
1	B	I	I	I
2	N	N	O	
3	O	U		
4	U			

1. Uxor Jovis fuit.
2. Quo loco? Adverbium.
3. Coniunctio condicionalis.
4. Vocalis.

Andreas Hübös disc. Keményiani Bp.

2. *Pyramis.*

E	1. Consonans.
E E	2. Praepositio.
E I I	3. Praecepta civitatis.
L L L S	4. Arbor.
X X X X X	5. Genus lapidis.

Maria Förster disc. Sophiani Bp.

3. *Ad saltum equulei.*

to-	mi-	de-	lu-	ri-	co.
mo-	tem	ri	di-	co	co
Do-	ra-	no	plu-	sa-	mam

Frid. Ioannes Lóránt disc. Kölcseyani Bp.

4. *A parte usque ad pontem.*

Pars					pons
------	--	--	--	--	------

Editha Lovrich disc. Sophiani Bp.

5. *Ex syllabis.*

a, Ca, pa, tra, na, re, que, te, li, ti, ti, ti, Quo, u, ab, tam, en, dem, nos, us.

Adelhaidis Mády disc. Sophiani Bp.


6. *Labyrinthus.*

A	B	N	C	C	D	O	E	A	F
G	O	H	S	I	H	I	L	C	E
N	I	I	M	U	N	O	P	S	R
S	C	T	M	U	S	Z	U	X	E
S	Y	D	A	A	U	I	D	D	M
P	I	R	E	Q	T	O	V	A	E

Si via lincis denotata in medium labyrinthum intras, proverbium notum accipis.

Thomas Prohászka disc. Madáchiani Bp.


7—8. Ad saltum equulei.



Haec aenigmata verba Phaedri reddunt.

Ediha Lovich disc. Sophiani Bp.

9. Crucigramma.



Ad libram: 1. Aeneas dixit hoc. 10. Potabit. 11. Emisi, foras dedi. 12. Fluvius Belgicus. 14. Nomen collectivum ciborum herbaceorum. 15. Animal domesticum. 16. Coniunctio negativa (retro). 18. Consuetudo (primae duae litterae commutatae sunt). 19. SS. 20. Deus portarum. 22. EE. 23. Adolescens. 24. Coniunctio conditionalis. 26. Grandis natu. 27. Vultus (retro). 28. Et anglice. 30. Adverbium temporale. 31. «Chorda» hungarice. 32. Ad boves pertinens (finis abest). 34. Pronomen determinativum. 35. Vadere (ultima littera abest). 36. Urbs Belgicae. 38. Mercari. Ad *perpendicularum*: 1. Sententia ex psalmo 41. 2. Amicus Euryali. 3. Aves. 4. Mare francogallice. 5. Coniunctio. 6. Pron. personale. 7. Vescor, mando. 8. Amicus Ciceronis. 9. Regio in Palaestina. 13. Virus. 16. Consulit, observat. 17. Monitio, voluntas divina (secunda et tertia consonantes commutantur). 20. Contrarium officii. 21. «Sex» francogallice. 25. Pauper. 27. Nomen haeretici (retro). 29. Solida (vocalibus commutatis). 31. Pron. demonstrativum. 33. Causam, negotium. 34. Mercor. 37. Coniunctio. 38. Uxor Adami (vocalis ultima abest).

Val. Joannes Palkovics disc. Dombóváriensis.

10. Pyramis duplex.

- | | |
|-----------|-----------------------------|
| 1 | Vocalis. |
| 2 1 | Acc. pronominis personalis. |
| 2 1 3 | Adverbium numerale. |
| 4 2 1 3 | Niger, tristis. |
| 5 4 2 1 3 | Maritus matris. |
| 4 3 2 1 | Artificio. |
| 4 1 3 | Ubi aves volare possunt. |
| 1 2 | Coniunctio. |
| 1 | Vocalis. |


Gabriel Reinütz disc. Berzsényiani Bp.

11. Logogrifus.

In regno Hispanorum pulchro est urbs fluviusque.
Convertas: mortis atrum erit imperium.

Frid. Kreiner disc. Sch. Piarum (M.-Canissae).

12—13. Aenigmata rotunda.



Si primam litteram recte inveneris, circumiens quaere quintam (9.) — quartam (10.) quamque litteram, dum adversarius Ciceronis nefarius (9.) — dictator ab aratro in bellum vocatus (10.) eveniat.

Elisabetha Rásy
disc. Mariani Sor. Angl. Bp.

Ioannes Márton
disc. gymn. IPEA. Bp.

Nota. Lectoribus minimis: 1—5, mediis et maioribus 6—13. — Discipuli eiusdem scholae solutiones a magistro suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem J. Wagner (Budapest, XI., *Lágymányosi-utca* 20), mittant. (Egy-egy iskola tanulói rejtvénymegfejtéseiket közös borítékban küldjék be a szerkesztőségbe.)

Terminus solutionum: Calendae Septembres.

Epistolia officialia.

Corrigenda numeri 8 (m. Apr.): pag. 59; pro «accerime» lege: acerrime. — pag. 64: Valeria Horváth disc. Kaposvariensis est.

Moderator omnibus, a quibus salutationes paschales accepit, pro amicitia et benignitate maximas agit gratias. Mense Aprili 5 magistri et 18 discipuli utriusque sexus 23 aenigmata, 11 ioca et alia opuscula ad moderatorem miserunt, qui omnes et discipulos et magistros orat, ne quis ante m. Octobrem opusculum quaecumque scribat. Manuscripta enim non desiderata non reservantur, neque remittuntur, nisi quis pittacia ad remittendum necessaria adiunxit. — Ol. Zsák. Ioca tua proxime in certamine corrigendi invenies. — Compluribus. Non omnes libri recensentur, etiam recensiones propter inopiam loci breviores erunt, quam usque adhuc fuerunt — Mensibus Iulio et Augusto quaternas tantum paginas dabimus.

Narratio Mauritii Jókai, quae inscribitur: «De duabus salicibus Enyediensibus (= A nagyenyedi két fűzfa), latine reddita in libello eleganti, imaginibus, annotationibus et vocabulario instructa, a Ladislao Juhász dr. (Szeged, Horthy kollégium) venditur. Pretium 1.60 pengoe. Numerus chartulae nummariae postalis: 12.685. Novem exemplaribus decimum gratis additur.

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. Negotiorum curator: Fr. Kohl jun.